



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XV. Vtrum Deus sit scientia comprehensiua sui, & aliorum omnium, ac
singulorum in se?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Ad rationem dubitandi, Deus est causa adæquata totius modi, speciei, & ordinis existentis in rebus creatis; nec non totius consonantiæ, & iustæ proportionis earum inter se, & cum qualibet ipsarum idea non fallaci; sibi quæ ipse est loco causæ. Quapropter continet in se eminenter, & meliori modo, omnem rationem bonitatis, pulchritudinis, & perfectionis rerum omnium, seclusis ipsarum imperfectionibus, ratione quarum præcisè imperfectionum opponuntur inter se, & multiplicuntur, & à quibus non abstrahunt definitiones ibi positæ, vt potè propriæ rerum creaturarum. Quæ proinde definitiones, sicut & nomina primitiua imposita rebus creatis cum expressione imperfectionis earum, transferuntur ad Deum retenta sola, & pura perfectione significata per talia nomina, & definitiones, recisus omnibus imperfectionibus.

QVÆSTIO XV.

Virum Deus sit scientia comprehensiva sui, & aliorum omnium, ac singulorum in se?



DEITYR non esse. 1. Quia scientia est habitus illatiuus conclusionis ex præmissis; ideoque est accidens inducens rationem causæ, & causati in eo, cui inest. Quæ includunt imperfectionem repugnantem Deo.

2. Intelligere est quoddam pati; est moueri ab obiecto, eique assimilari, vt habetur ex 3. de anima text. 12. Deus autem est immobilis, & impassibilis, vt supra dictum est; nec potest esse similis, aut sibi, vt per se patet, aut aliis extra se, vt docet D. Thomas q. 4. art. 3. ad 3. cum Dionysio c. 9. de diu. nom. & cum vtroque communiter alij. Ergo Deus nihil intelligit.

3. Repugnat actus intelligendi absque potentia ad intelligendum, perfectibili per actum, & consequenter absque specie obiecti intellecti, quæ est pars eius potentia. Repugnat autem Deo omnis potentia, & perfectibilitas; cum per essentiam sit omnis perfectio, & pura actualitas ex quæ præcedenti.

4. Si Deus esset sua scientia, scientia Dei de se ipso esset pura quædam reflexio supra se ipsam. Quod repugnat ex terminis. Quia de conceptu reflexionis, & quasi reflexionis est, vt præsupponat, aut quasi præsupponat tendentiam directam ad aliquid aliud. Aliter enim nihil, aut erit, aut concipi poterit, supra quod cadat reflexio. Ergo Deus non est sua scientia.

5. Comprehensio præscribit limites, ac finem rei comprehensæ. Vnde Augustinus locis indicatis qu. 13. art. 1. ait. *Quod comprehendit se, finitum est sibi. Illud comprehenditur, cuius fines circumspici possunt. Quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Ergo, si Deus comprehenderet se ipsum, secundum suam cognitionem, seque iudice, esset finitus. Vnumquodque autem est absolute, & in veritate, quale Deo videtur, non quale videtur nobis. Ergo ex data hypotesi, Deus esset ens finitum absolute, & secundum veritatem; quod constat esse absurdum ex dictis qu. 7. Ergo implicat inesse Deo scientiam comprehensiuam sui.

6. Deus extra se, neque vniuersalia cognoscit, nec singularia. Quia cognitio vniuersalium est abstractiua, & præcisua rationis communis à particula-

ribus, ac proinde est inadæquata, & imperfecta. Cognitio verò singularium, seu particularium, manifestius est imperfecta. Quia indiuiduatio sumitur ex materia, ideoque eius cognitio pertinet ad solam potentiam cognoscitiuam materiale. Vnde in 2. de anima text. 60. & 1. phys. text. 49. dicitur, quod *Ratio est vniuersalium sensus verò particularium.* Neutra ergo cognitio Deo conuenit. Ergo Deus non cognoscit quidquam à se distinctum.

7. Infinitum, ex suo conceptu, est ignotum, & incomprehensibile. Quia aliquid eius semper est extra, vt habetur ex 3. phys. text. 63. Ideoque non potest totum intra cognitionem aliquam contineri, & consequenter, nec comprehendi: cum quod comprehenditur, scientis comprehensione finiatur, vt modò dicebatur ex August. Cognoscibilia autem distincta à Deo; tùm possibilis, tùm futura per æternitatem, sunt infinita: Ergo scientia Dei non est comprehensiuam omnium, & singulorum distinctorum à Deo.

8. Deus, quatenus cognitus in creaturis, apparet ad modum plurium, eique multiplex ratione, propter multipliciter realem illarum, vt dictum est q. 6. Ergo creatura, quatenus cognita in Deo, apparet ad modum vnius, propter realem vnitatem, & simplicitatem ipsius. Ergo, si Deus cognoscit in se, quæ sunt extra ipsum, non cognoscit illa distinctè, & singulariter, vt sunt in se.

9. Quia perfectio Dei non reperitur in creaturis, nisi imperfectè, & inadæquate; non potest Deus perfectè, & adæquate cognosci in, & ex creaturis. Ergo, quia imperfectiones creatæ, per quas solas distinguuntur inter se creaturæ, nullatenus reperiuntur in Deo; non potest Deus cognoscere in se ipso perfectè, & adæquate imperfectiones, & distinctiones specificas, ac indiuiduales creaturarum.

Art. 1. Respondetur. Existencia scientiæ in Deo exprimitur Ecclesiastici 23. 28. Iob. 12. 13. Psal. 138. 5. & alibi propè infinities; & colligitur ex omnibus testimoniis comprobantibus processionem Verbi Diuini, reuelationes Diuinas, Dominium, & libertatem Dei, eiusdem beatitudinem, prouidentiam, prædestinationem, & reprobationem; beneficentiam, aliasque virtutes Diuinas. Quæ videlicet absque cognitione subsistere nequaquam possunt. Consequenter eadem veritas comprobatur indirectè iis omnibus rationibus, quibus hæc omnia, ac singula demonstrantur directè de Deo.

Art. 2. Probatur præterea specialiter primò. Quia qualibet substantia intellectiua est melior qualibet non intellectiua. Deo autem nihil est melius. Secundò, quia Deus est causa adæquata mediata, vel immediata rerum omnium creaturarum, atque adeo & substantiarum intellectiualium. Nequit autem substantia non intelligens esse causa adæquata intelligentis. Quia nequit effectus esse perfectior sua causa adæquata. Quæ ratio deducitur ex Ps. 93. *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Tertio, quia Deus habet vniuersalitatem essendi, vt potè continens in se omnes, & singulas rerum omnium perfectiones, seclusis imperfectionibus, vt constat ex quæ præcedenti, & sæpè aliàs dictum est supra; atque adeo caret omni prorsus materialitate determinanti ad certum aliquod genus, & inducenti indiuiduationes discreuitas aliorum ab aliis entibus, eorumque restrictiuas, quo minus habeant in se perfectiones peculiare aliorum. Huiusmodi autem amplitudo essendi, & exclusio restrictionis, atque coarctationis, est propria substantiæ intellectiue, iuxta illud Philosophi 3. de Anima text. 37. *Anima est quodammodo omnia; & intellectus est omnia fieri.* Deus igitur habens perfectissimè, & summè eam amplitudinem essendi,

& exclusionem eiusmodi coarctationis, est perfectissimè, & summè intelligens. Quæ est vnica ratio D. Thomæ pro hac veritate qu. 14. ar. 1. Multipliciter ab aliis, atque aliis, aut exposita, aut intricata.

Art. 3. Motium formale adæquatum scientiæ Dei est sola essentia Diuina, vt docent communiter Theologi ferè omnes, cum D. Thoma qu. ista 14. art. 5. & 1. contra Gent. cap. 49. Quia motium formale cuiusque cognitionis est obiectum, à quo ipsa specificatur, seu accipit perfectionem suam, & vicius per se, vel per speciem sui cooperantis intellectui, existit eadem cognitio. Nempe de hoc obiecto accipitur axioma apud omnes commune, auctoribus Philosopho, & Auguft. *Ex obiecto, & potentia paritur notitia.* Neque lectula ista acceptione obiecti formalis motui, superesse potest vlla differentia realis inter ipsum, & obiectum formale purè terminatum. Omnes namque aliæ differentiæ fundantur in ista. Cum, quoad terminationem immediatam, & continentiam intentionalem sui in cognitione, omnino inter se conueniant, quæcumque verè cognoscuntur. Patet autem scientiam Dei, si quidem est indistincta, tum realiter, tum virtualiter intrinsecè ab essentia Dei iuxta dicta superius de simplicitate Diuina qu. 3. & 4. non posse specificari, & accipere perfectionem suam, aut dependere per veram aliquam causalitatem à creaturis, aut à Personalitatibus diuinis, vt influentibus, vel immediatè per se ipsas, quod non indiget probatione; vel mediata, per speciem impressam sui, quod probatur facillè.

Art. 4. Probatur, inquam. Quia essentia Diuina habet maiorem essendi vniuersalitatem, extensiuè quidem, & intensiuè, idque infinitè, quam creaturæ; extensiuè verò, quàm personalitates. Essentia enim diuina continet in se omnes creaturarum omnium perfectiones cum excessu infinito supra singulas, & supra collectionem omnium. Deinde eadem essentia est per identitatem realem, tum tota Trinitas Personarum collectiuè, tum vnaquæque Persona diuina seorsim. Quod ipsum nec toti eidem Trinitati, nec alicui seorsim Personæ conuenit, vt patet. Nequit autem quod, aut maius est, aut latius patet, existere vi, & causalitate, vel quasi causalitate, seu mediata, seu immediata ignobilioris, aut minus vniuersalis. Igitur essentia Diuina est ratio, & causa, vel quasi causa suæ scientiæ; idest, sui ipsius; non vt species impressa, sed solum, vt species obiectiua creaturarum, & Personalitatum; de qua specierum distinctione dictum est qu. 12. art. 1. & 2. Ergo sola essentia diuina est obiectum formale motium adæquatum scientiæ diuinæ adæquatè sumptæ; & creaturæ sunt obiectum purè materiale; Personalitates verò, licet realiter sint obiectum formale motium propter identitatem realem cum essentia; virtualiter tamen ratione sui formaliter sunt obiectum materiale, seu formale purè terminatum.

Art. 5. Quia verò essentia diuina non est minoris perfectionis, quatenus est cognoscitiua, & actualis cognitio sui, quàm quatenus cognoscibilis, & actualiter cognita per se ipsam; atque cognitio adæquans cognoscibilitatem sui obiecti est perfectè comprehensua ipsius, vt patet ex dictis qu. 13. initio circa conceptum comprehensionis, patet scientiam Dei esse perfectè comprehensiuam essentia diuinæ. Rursus, Quia comprehensa causa necesse est, vt eo ipso comprehendatur in eadem causa omnes, & singuli effectus contenti in illa adæquatè, vt ibidem dictum est, concluditur vterius scientiam Dei esse comprehensiuam, omnium, & singulorum cognoscibilium quomodolibet distinctorum ab essentia diuina, eaque omnia, & singula cognosci in eadem essentia. Id quod innotescet clariùs in progressu. Audiatur interim

Dionysius exponens hæc omnia dilucidè cap. 7. de diu. nom. *Nec enim ea, quæ sunt, ex iis, quæ sunt, nouit diuina mens; sed ex se, & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet. Non quod per speciem singula consideret, sed quod vno cause complexu omnia sciatur. Se ipsam ergo cognoscens diuina sapientia nouit omnia, sine materia ea, quæ materia constant sine diuisione ea, quæ diuina sunt.* Ista porro indusio, & perfecta simplicitas scientiæ Dei, est præcipuus totius eius capitis scopus; & tota probatio nititur indiuisione, & simplicitate perfecta motui formalis. Quapropter opponuntur Dionysio è diametro, non solum Erice, & pauci alij tribuentes creaturis rationem motui formalis partialis scientiæ Dei, quæ sanè est indigna opinatio; & paradoxa, sed etiam Montoya, & aliqui alij adscribentes eandem rationem motui Relationibus diuinis pro vt distinctis virtualiter ab essentia Dei. Eo namque ipso adstruunt in motu scientiæ Dei diuisionem, & multiplicitem, qualem non agnoscunt, & nefas est agnoscere in ipsa scientia: Ideoque contradicunt clarè intentioni, & sententiæ Dionysij. Dicendum itaque est, Deum essentialiter esse scientiam comprehensiuam sui, & aliorum omnium in se, inque sola sua essentia.

Ad 1. 2. & 3. Nomina primitus imposita perfectionibus creatis transferuntur vbique ad Deum seculis earum imperfectionibus. Vnde nomine scientiæ intelligitur in Deo cognitio actualis, clara, & comprehensua absque compositione, & diuisione; illatione conclusionis ex præmissionis causa, & causatoris habitu; specie impressa; potentia actiua, & passiua; motione, causalitate, & informatione propriè talibus: quæ videlicet omnia, quoad suam proprietatem, fundantur in limitatione potentia intellectiue non sufficientis sibi se sola ad intelligendum actualiter, nec habentis ex se præcisè vltimam determinationem, & puram actualitatem intelligendi. Huiusmodi autem potentia exponitur ibi à Philosopho; & nequaquam datur in Deo. Quia Deus eadem ratione, qua est ens à se, est etiam intellectio à se, non facta, aut concepta ad instar cuiusquam alterius; Ideoque non habens, rationem imaginis, aut similitudinis, propriè talis, respectu cuiusquam alterius; sed potius exemplaris, & archetypi omnium aliorum. Caterùm illa eadem dantur in Deo, ex modo nostro concipiendi apprehendente ex parte Dei potentiam metaphysicam, seu non repugnantiam intelligendi, & identitatem realem, ac virtuale intrinsecam cum cognitione, ad modum potentia actiua, & receptiua intellectiōis à se distinctæ, & cognoscibilitatem metaphysicam, seu non repugnantiam, vt cognoscatur immediatè, & ratione sui, ad modum virtutis propriè motiua, & causantis cognitionem; & sic de aliis. In quo nullum est inconueniens. Quia nulla propterea admittitur re ipsa, aut affirmatur imperfectio in Deo; sed solum in nostro intellectu non valenti pro statu præsentis apprehendere vllam puram perfectionem, nisi ad instar perfectionis coniunctæ cum imperfectione, vt iam iterum notatum est supra vniuersaliter.

Art. 1. ad 4. Scientia Dei de se ipso, quatenus est cognitio omnipotentia, immensitatis, aliarumque perfectionum formaliter distinctarum ab ipsa cognitione, vt cognitio est, apprehenditur ad modum cognitionis purè directæ. Quatenus verò nullum habet obiectum formale realiter, & virtualiter intrinsecè distinctum ab ipsa cognitione, apprehenditur ad modum cognitionis purè reflexæ. Re tamen ipsa cognitio Dei est media inter purè reflexam, & purè directam. Quia motium eius formale adæquatum, nec est vllō modo distinctum obiectiuè, & in se à cognitione

tionē, nec est pura cognitio nullum habens praeditatum, & munus proprium, ac differentiale, praeterquam representandi, & continendi in se aliquid intentionaliter; Cum habeat infinitas praeterea formalitates, & perfectiones alias identificatas secum. Quo cessat inconueniens obiectionis. Dicatur itaque scientia Dei de se ipso, cognitio simul, atque indiuisibilis directi, & reflexa; ut potest complectens, formalitate reipsa peritus simplici, totam perfectionem propriam vtriusque.

Art. 2. An verò admittendus sit in diuina cognitione, processus syncategorematicè infinitus reflexionum distinctarum ratione nostra? (quod tenet sollicitos Montoyam, Herice, & nonnullos alios) res est mirabiliter levis, & est ex eo genere rerum, quae irreperunt in disputationes, & libros Theologicos cum infamia Theologiae apud non paucos. Admittatur porro eiusmodi processus; quandoquidem supra quamlibet cognitionem creatam confluere possunt sine fine aliae, atque aliae reflexiones realiter inter se distinctae; atque fundamentum distinguendi ratione inter diuina est distinctio realis similium praedicatorum inter creatas, ut supra dictum est. Et quale inconueniens est intellectum finitum harentem animatis, non posse vnquam quiescere perfecte, aut inuenire finem in consideratione Diuinorum? De re ipsa iam constitit non dari nisi vnicam reflexionem, seu quasi reflexionem in Deo.

Ad 5. Licet comprehensio corporalis fiat cum excessu rei comprehendens, ultra eam, quae comprehenditur, ad comprehensionem nihilominus intellectualem sufficit adequatio intelligentis cum re intellecta. Ita videlicet, ut nihil lateat videntem; tantumque sit apparentia obiecti in intellectu, quantum est eiusdem esse in se ipso. Quare quod dicitur ab Augustino, & aliis, rem comprehensionem finiri per comprehensionem, sumitur negatiue tantum; quatenus res comprehensa non protenditur ultra cognitionem. Ex quo fit, ut obiectum perinde comparetur cum cognitione infinita, quae comprehenditur; atque comparatur res vna finita cum re alia finita sibi equali, & quarum vtralibet est quasi mensura alterius. Pater autem nullum esse inconueniens, quod infinitum ita comparetur cum infinito. Iam verò quod existente adaequatione perfecta inter cognitionem, & cognoscibilitatem obiecti, cognitio dicatur comprehensio; ideoque significetur ad modum excedentis, puto ortum traxisse ex maiori apparentia perfectionis in cognitione, quam in cognoscibilitate, ceteris paribus, iuxta considerationem adhibitam qu. 1. 3. art. 5.

Ad 6. Deus cognoscit simul praedicata, quibus res creatae inuicem conueniunt, & praedicata, quibus inuicem differunt; id est, ea praedicata, ratione quorum seorsim, sunt confusibiles sub eadem cognitione, & ea praedicata, ratione quorum sunt discernibiles mutuo. Quapropter Deus cognoscit vniuersalia aeterna, ac infinita, absque vniuersalitate, confusione, ac praecisione ex parte suae cognitionis; simulque cognoscit particularia, seu singularia, ac materialia, absque limitatione, & restrictione cognitionis suae ad aliquid vnum finitum, ac limitatum. Vnde in cognitione diuina non datur imperfectio propria, aut intellectus abstrahens, praescindens, & confundens; aut sensus restricti ad particularia, & contingentia. Sed alterutrum ex his perfectione coniuncta superabundanter cum perfectione alterius; excludit a se imperfectiones vtriusque. Nec video, quidquam aliud realiter subesse controuersis longiusculis aliorum circa haec.

Ad 7. Sulcipienti finitè, aut etiam sine fine, sed successiue, ex infinito, semper superest aliquid extra.

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

Idque solum intendit Philosophus. At si infinitum se toto simul accipiat infinitum aliud, nihil opus est, ut supersit extra, nec fieri potest, ut supersit. Hoc autem modo cadit infinita Dei cognitio supra infinita creata, & possibilis, & futura. Quapropter in cognitione diuina dantur infinita actu, & categorematicè, actualitate cognitionis simplicis infinitorum, non verò actualitate ipsorum infinitorum, quae cognoscuntur: Quae distinctio est obseruanda, & inspicienda attentè pro vitandis sophismatis arguentium ex diuina infinitorum cognitione actualiter existente, possibilitatem infiniti creati categorematici; Id est, arguentium ex existentia cuiusdam in se simplicissimi circa infinita non existentia, possibilitatem, ut haec eadem in se intrinsecè simul existant. Quod perinde est ridiculum, atque inferre possibilitatem coexistentiae assensus, & dissensus in eodem circa idem, ex simultanea cognitione circa eundem assensum, & dissensum, ut possibiles simul simultate possibilitatis, non verò simultate ipsorum, quae possibilis sunt, sed de hoc alias.

Ad 8. Obiectum materiale potest cognosci perfecte, ut est in se, ex vi motui formalis continentis illud perfecte, & adaequatè, ut est in se, secus verò ex vi motui non ita continentis. Creatura autem, ipsarumque multitudo continentur in Deo perfecte, & adaequatè; cum Deus imperfectè tantum, & inadaequatè contineatur in illis. Ergo ex imperfecta, & impropria cognitione Dei ad modum plurium dependenter à creaturis, non rectè colligitur imperfecta similiter, & impropria cognitio creaturarum ad modum vnius in Deo, maxime cognito comprehensiue, uti cognoscitur à se ipso.

Ad 9. Imperfectiones non possunt cognosci ratione sui. Quia consistunt adaequatè in negatione, aut priuatione, quarum neutra potest habere ratione sui formaliter vim vllam causatiuam cognitionis, & motiuam intellectus; cum ista vis causatiua, & motiua sit praedicatum positium, ut patet. Quare solae perfectiones, & praedicata sunt positiua obiecta formalia motiua cognitionis sui, & oppositarum imperfectionum; & eo plus vel minus, quod sunt maiores vel minores perfectiones. Perfectiones igitur creatae, quia sunt exiguae, exiguum tantum cognitionem causare possunt circa infinitam Dei perfectionem. Haec verò, ob rationem contrariam, potest causare, seu quasi causare cognitionem adaequatam omnium, & quarumlibet imperfectionum absolute possibilium, manifestando, quantum vnicuique rei communicari ipsa possit. In quo conceptu continetur magnitudo, tum perfectionis, tum imperfectionis possibilis in vnaqualibet re tum seorsim considerata, tum comparata cum aliis specie, & numero distinctis. Nec enim perfecte, & comprehensiue cognosceret se Deus, nisi perfecte, & comprehensiue cognosceret, quantum, & quibus communicabilis ipse sit, & quorum, & quotupliciter sit libere electiuis; Cum haec sint praedicata, & perfectiones essentiales ipsius.